

SYNODORUM
OECUMENICARUM SUMMA,
IN QUA PRAETER UNIUSCUIUSQUE
CONCILII HISTORICAM ENARRATIONEM,
IN MEDIUM ETIAM AFFERUNTUR
CANONES UNIVERSI,
ATQUE SCHOLIIS QUIBUSDAM
ELUCIDANTUR.

*Editio altera, novis curis elaborata, correctior, & ad-
aucta ad usum Vespertinae Canonum Cathedrae per
D. D. Raymundum Fernandez & Larrea praefatae
Cathedrae in Academia Pintiana
Antecessorem.*

*Mtro Sanchez
24. 17*



VALLIS-OLETI MDCCLXXXVIII.
APUD VIDUAM ET FILIOS SANTANDER.
SUPERIORUM PERMISSU.

PERILLUSTRI
REGIAEQUE VALLISOLETANAE
ACADEMIAE

R. F. L.

Synodorum generalium Summam, opti-
ma studiorum Parens; tuis auspiciis,
tuisque sumptibus, paucis abhinc annis
in lucem emisi. His alia adjici posse be-
neficia, nemo sibi facile persuaderet. Haec
vero quam parva tibi visa sint, non obs-
cure significasti; atque ea ad commen-
dationis meae cumulum addidisti, quae mihi
non modo non expectanda, sed ne optanda
quidem essent. Mira siquidem benignitate iis

HISTORIA SYNODI NICAENAE.



UI vel primoribus, ut inquit, labris Ecclesiasticos annales degustaverit, inficias ire nequit, tria potissimum fuisse, quae quarto incunte saeculo sponsam Christi Ecclesiam divexarent, Arij nimirum haeresim, Meletij schisma, superque peragendi Paschatis die controversiam; ut ijs turbis, eique in primis, quam excitabat Arius, obviam iret Constantinus Imperator, ex condicto cum Romano Pontifice Sylvestro, Nicæ, quae Bithyniae Metropolis, Oecumenicarum Synodorum primam indixit, quae Paulino, & Juliano Consulibus, die XIX. Junij ann. CCCXXV. habita est. Testantur inter alios D. Athanasius in Epistola ad Jovinianum Imperatorem, D. Epiphanius haeresi LXIX. sanctissimo huic coetui interfuisse trecentos supra decem & octo Episcopos, ex quibus non pauci tum miraculorum fama, tum strenua fidei confessione in immani illa Diocletiani, atque Licinij persecutione haud parvum sibi nomen pepererant.

Aderant cum Episcopis Presbyteri, Diaconi, atque ex inferiori Clero innumeri fere. Rom. Sed. Antistes provectae aetatis ergo venire haud valuit, ast Legatos misit Vitum nimirum, ac Vincentium Ecclesiae Rom. Presbyteros, uti Sozomenus memoriae prodit. Osium Cordubensem nominis, & famae celebritate insignem eo